16

DE TENDINIS BICIPITIS LÆSIONE.

THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ,


Quas, DEO JUVANTE, & Præside M. JOANNE-BAPTISTA-LUDOVICO-PETRO DUMONT, Artium & Chirurgiæ Magiſtro, *tueri conabitur*, CLAUDIUS-NICOLAUS ROBIN DE LA VOISINIERE, *Andegavus*, *in almâ Univerſitate Pariſienſi*, *Artium liberalium Magiſter.*

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

Die Sabbati, *30ᵃ. menſis Auguſti à ſeſqui-ſecundâ poſt meridiem ad ſeptimam. Anno R. S. H. 1766.*


PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREA.




Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii Typographi.

M. DCC. LXVI.

Q





D. O. M.

DE TENDINIS BICIPITIS LÆSIONE.

THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.



XQUISITISSIMAM corporis humani fabricam, ſolidis ac fluidis conſtare, neminem herculè fugit. Iſtâ cum machinâ miratu præſtantiſſimâ, ſubſtantia ſpiritalis, animam dicta, conjungitur. Ex ipſâ diſpoſitione divinâ, naturales animales que functiones defluunt. Huicce mechanicès excellentiſſimo operi, morborum iliades aſcribuntur. Curationem, Anatomè neglectâ, aggredi, fallax & arduum opus. Quapropter de tendinis Bicipitis læſione acturi, ſtructuram partis anatomicam paucis exponere juvat.

IN SCAPULAM, brachium, ante-brachium, manum tripar-

titam dividitur superior extremitas. Fibris cujuscunque generis miro ordine dispositis conflata, spontè agens, tegumentis communibus velatur.

Ante-Brachium, binis ossibus, ulnâ scilicet & radio componitur. Utraque ossa superiùs inter se & cum humero juncta, in medio paulatim dirimuntur, rursùs ad manum coeunt: validioribus ligamentis firmata, per Ginglimum (*a*) angularem & lateralem, communes ac proprios motus absolvunt.

Decem in Ante-Brachio musculi indigitantur; quorum duo flectunt, Brachiæus internus, Biceps (*b*); quatuor extendunt, longus & brevis Anconæi, Anconæi laterales: duo supinatores, longus (*c*) & brevis: pari numero pronatores, nempè rotundus, quadratus.

Inter Flexores, musculus Coracoradialis (*d*) seu Biceps recensetur. Ob duplex à scapulâ initium, Apophisi Coracoïdeæ Radio que adhæsiones, duplices usus, sic nuncupatur. Iste musculus, geminus, in parte carneâ ferè rotundus, in facie anteriori paululùm internâ humeri sedem obtinet.

Socii Tendines, ferè paralleli, tamen à se invicem separati, ex isto musculo superiùs prodeunt. Alter anterior, teres, externus, longior, inter Apophises tuberosas sinuositate humeri subrepens, thecâ ligamentosâ inclusus, articuli capsulam pervadit, ipsam & firmat. Ex eâdem emergitur, breviori denuò vaginâ vestitus, juxtà basim Apophisis coracoïdeæ, supercilio acetabuli posteriùs ac superiùs inhærescit. Alter ejusdem musculi caput, latius, brevius, internum, cum tendine musculi Coracobrachialis dicti, in processum anchoriformem desinit. Ista capita, sensìm descensu coadunata, versùm suam originem socialiter pergunt.

(*a*) Vid. Clariss. Winslow Exp. Anat. p. 82. & 83.

(*b*) Idem Author bicipitem, ante-brachio leviter flexo, supinationi inservire, existimat. Exp. Anat. p. 310.

(*c*) Heisterus hunc musculum ad cubitum flectendum inservire censet, sicut videtur compendio Anatomico, *Traité des Muscles*, p. 192. Eodem modo habetur Winslovio. Expos. Anat. p. 312.

(*d*) Hoc nomine donatur Winslovio. Exp. Anat. p. 309.

Musculi Bicipitis venter, præcipuum actionis organum; in parte mediâ Brachii, juxtà insertionem Deltoïdis, locum occupat; fibrarum rubro colore fasciculis, textu celluloso alligatis, involucro commune inclusis, efformatur. Istæ fibræ, albicantes, firmiores, tenaciores que evadunt: partìm tendinem latum communem, validum, tuberositatis Radii margini posteriùs fixum, partìm membranam strictiorem, Aponevrosim dictam, constituunt. Alios musculos paucis explanabunt nostræ responsiones.

Innumeris prædictæ partes irrigantur vasis: sanguifera ramo axillari progerminant. Venæ præcipuæ, numero quatuor, sanguinem in axillares reducunt. Nec desunt vasa lymphatica in glandulas axillarum tendentia.

Sex funiculi Nervosi, partibus enumeratis distribuuntur; ex quatuor ultimis nervis cervicalibus, & primo dorsali oriuntur; plures ramos offerunt insignes, nempè cutaneum internum, Medium, Musculo-cutaneum, Cubitalem, Radialem, & Humeralem: motûs sensûsque partium descriptarum sunt organa.

Venas Brachiales, phlebotomiâ secari, nemo inficias ibit. Hæc operatio frequens, periculosior tamen adest. Lanceola igitur instrumentum anceps, periti tractanda manu chirurgi. Ex venæ sectione exurgunt varia accidentia: inter gravia recensetur Tendinis Bicipitis læsio; hunc affectum præ cæteris pertractare conabimur.

In Phlebotomia, vena Mediana sæpè sæpiùs incidi solet: propter situm sic nuncupatur. Huic subjacet tendo Bicipitis. Periculum est-ne infortunato casu saucietur. Ante-Brachii pronatione, levique flexione, idstud accidens metuendum præcaveri valet.

Quanti sit momenti tendinem Bicipitis, levissimo lanceolæ attactu, non perstringere, omnes chirurgi norunt. Ex istâ læsione innumerabilis symptomatum turba prodest. Actio partis tendineæ à suâ integritate pendens læditur: musculus, tendinis origo, variis affectibus est obnoxius; undè dira tormenta, partìm à vulnere, partìm à musculo vulneratum tendinem distrahente, mutuantur.

Tendinum fibræ mufculis continuæ, irretitâ nervorum ferie donantur; hinc non mirum illas ferè fimilia mala pati. Nervo ac tendine, integrè refectis, nullum accidens periculofum adeft; fed punctis (*a*) vel dimidiatò difciffis, varia fymptomata fubfequuntur. H ppocrates (*b*) etiam monuit *pejus adeffe vulnus ex quo aliquid excifum fit, ex quove caro, aliâ parte abciffâ, alia dependet.*

Tendinis Bicipitis puncturæ varia difcrimina recipiunt. Partes læfæ aut æquè aut imperfectè dividuntur; figuram læfionis ubì fpectes, alia longitudinalis alia verò tranfverfa, vel obliqua occurrit: propter eventum, in periculofam & lethalem dividitur: refpectu effentiæ, vulnus vel eft fimplex, vel complicatum: ex pravâ aut bonâ humorum indole & ex accidentibus, nec minor adeft varietas.

Sævissimis malis tendo læfus concomitatur. Enormes dolores, tum in parte afflictâ, tum in toto humero, ufquè ad fcapulam repentes: partium rigiditas, immobilitas; febres, deliria, fpafmi, fupurationes ichorofæ, confluunt: aliquandòque increfcit inflammatio, tunc gangrenæ fit obnoxia; deniquè tandem, nifi promptum artis acceflerit auxilium, mors ipfa (*c*) plerumquè fequitur.

Certa sunt Tendinis Bicipitis puncturæ indicia. Primum hujûfce affectûs incipientis fignum, punctionis momento fe fe manifeftat: acutiffimus dolor, ad Acromion protenfus, à vulnerato perfentitur: acutiffimo dolore percuffus æger, clamitat: nimius cufpidis lanceolæ renixus, ipfius retufio, inter figna primitiva annumerari quandoquè poffunt.

Si dolores pofteà perfeverent, ftrages edunt: extenfio ante Brachii fit admodùm dolorifica; mufculus Biceps, & alii vicini fenfim ingurgitati, tument; Aponevrofis etiam per confenfum trahitur: inflammatio plus minùs-vè major intenditur; undè multiplex accidentium turma fuperiùs enumerata.

(*a*) Aphor. Boerh. 163. p. 216. de vulnere in genere.
(*b*) Prædic. Lib. 2. p. 79.
(*c*) Opera Paræi. Lib. X. Cap. 41.

Ex jam expoſitis de tendinis læſione, prognoſim deducere non arduum. Quoad eſſentiam. Complicata ſimplice gravior. Periculoſiſſima etiam, ſi cuſpis lanceolæ in vulnus permanſerit. Attentis deniquè accidentium numero & intenſitate, ægri temperamento, certius judicium ſtatuetur, diverſa itemque curandi methodus inſtituetur.

Ne in hoc-ce morbo, æger, acutiſſimis dolorum aculeis divexetur, doloris ſenſum lenire, tollere operæ prætium eſt.

Venæ ſectiones ex altero brachio plùs minùs-ve repetitæ, potus diluentes, topica & anodina & emollientia, narcotica quandoquè, ad curationem congruunt.

Si iſta media incaſſùm adhibeantur, accidentia que urgeant; periculum eſt in mora. His anguſtiis quid agendum? Sectionis vel uſtionis uſu inter ſe diſſentiunt Authores plurimi, nec non practici peritiſſimi. Karò proſunt inciſiones. Cauſtica igitur prævaleant.

Tutius citiusve causticis, tendinis punctura ſanatur. Hæc media multa, ut ita dicam, patrant miracula: ratio & experientia illud comprobant. Senſus dolorificus, plaudentibus ægris, omnino tollitur; membri aut totius machinæ ruina prævertitur, dira accidentia ſedantur, extinguntur. Hæc eſt cauſticorum utilitas, neotericis nimiùm forſàn neglecta.

Caustica in læſione tendinum feliciter adhiberi, plurima probant obſervata. Hippocrates (*a*) hanc methodum jubet. *Si in unum aliquem locum irruerit dolor & conſtiterit, nec medicamentis expellatur, inurito, quocunque in loco fuerit:* Bartholinus (*b*) tendinis Bicipitis læſi curationem, oleo fervente, retulit. Paræus ipſe (*c*) in hiſtoriâ tendinis ejuſdem puncti Carolo IX°. Galliarum Regi, hanc curam ſuadet. Cauſticorum effectus apprimè deſcripſit clariſſimus Dominus Queſnay (*d*)

(*a*) Hippocrates de Affection. cap. tom. VII. p. 629.
(*b*) Bartholin. Med. Septentr. tom. II. p. 349.
(*c*) Opera Paræi. Lib. X. pag. 41.
(*d*) Lib. cui titulus, *Traité de la Gangrene.* p. 160.

nec non laudandus Boerrhavius (*a*); ejus que divinus commentator. Illuſtriſſimus Dominus de la Peyronie, Chirurgiæ Gallicæ reſtaurator, in vulnere tendinis carpi, felici cum ſucceſſu uſtionem adhibuit. Laudandi e noſtris (*b*) in læſione gravi partium tendinearum, iſtam praxim ſequuntur.

QUOD ad operationem ſpectat, apparatus diſponendus: ægrotans in ſitum idoneum collocandus: tum trochiſcus ſublimati corroſivi in partem afflictam intrudatur, ad cruſtæ efformationem remaneat; illumque emplaſtro unguenti fuſci, ſplenio involvere, faſciâ que idoneâ continere juvat. (In actione cauſtici momentaneâ, triſtis eſt ægri conditio, ſed paulo poſt, tempeſtate ſenſim miteſcente, malorum ſævities quaſi divinitùs evaneſcit.) Eſcharam non incidi, ſed ſpontè delabi neceſsè eſt: deinde plumaceolus ſpiritu therebentinæ imbutus, ſuper tendinem uſtum conjiciendus: lenè digerens, cataplaſma ex emollientibus ſuper dandus. Tenui victûs ratione, cæterisque pro re natâ remediis, curatio perficitur.

(*a*) Coment. Aphor. Boerrhav. 334 §. 229.
(*b*) Domini Foubert. Dubertrand, & alii neoterici. In læſione tendinum, ter, hoc-ce anno proſperè cum ſucceſſu cauſticis uſus eſt M. Ferand.

FINIS.